Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25983
Copyright: Admont, Benediktinerstift

habundarent ecclesiarum cum unitate qualitate non audent. eumque iulio inportabant. eo quod atha-
nasii sectatoribus communicasse uideretur. et tamquam eorum concilio contumelias irrogasset. eorumque sen-
tentias destruxisset. et ueluti iniustum eius factum. ecclesiasticisque sanctionibus dissonans argue-
bant. His ita conscriptis. addiderunt. quia si susciperet iulius dampnationem ab eis factam et ordina-
tam episcoporum in dampnatorum loco firmaret. pacem cum eo et communionem haberent. si uero placitis
eorum resisteret contraria celebrarent. quippe cum orientales episcopi non restitissent dum nouatus a ro-
mana ecclesia pelleretur. De his autem que preter commune placitum de niceno concilio gesserant.
nichil ei rescribere maluerunt. SOCRATES. XVII.

Hec itaque orientales episcopi iulio romano pontifici rescripserunt. Cum uero athanasius alexan-
driam fuisset ingressus compressio populi partis georgii qui illic fuerat ordinatus episcopus. uehe-
mens facta est. et ex hoc dicebant tumultus et neces hominum peruenisse. et huiusmodi crimina in athana-
sium uelut auctorem sceleris referebant. dum hec in certaminibus frequenter euenirent. Ob quam causam
sabinus macedonianae presul hereseos athanasium frequenter accusat. Qui si cogitaret quanta ma-
la contra athanasium et omousianos arriani gesserunt. aut quanta concilia propter eum celebrata sunt.
aut quanta contra omnes ecclesias macedonius heresiarches gessit. erubescens forte tacuisset. XVIII.

Constantius autem imperator in antiochia degens. cum audisset rursus paulum constanti-
nopoli susceptum. philippum qui tunc habebat maximam inter alios iudices potestatem. et post princi-
pem secundus appellabatur. misit ut paulum ecclesia pelleret. et macedonium introduceret. Prefectus
autem philippus seditionem populi metuens. arte est usus aduersus paulum. et iussionem quidem prin-
cipis celauit. simulans autem publicum se habiturum esse tractatum. processit ad thermas uoca-
bulo zeusippas. ibique cum honore quasi necessario uocauit paulum. Cumque uenisset. repente
prefectus sacram monstrauit imperatoris. Et episcopus quidem illic iniustam sententiam patienter tulit. Porro
prefectus metuens multitudinis impetum que ibi conuenerat propter timoris famam. unam fenes-
tram thermarum iussit aperiri. per quam ad palatium ductus paulus. et missus in nauim ad italiam pa-
ratam uelociter ductus est in exilium. Iussitque prefectus ut thessalonice seruaretur. ex qua paulus
fuerat oriundus. quem etiam illic licentia uiuere et in aliis illirici ciuitatibus. non tamen ut ad
partes orientis accederet. Hoc itaque modo Paulus inopinabiliter de ecclesia pulsus est. Philippus
autem a thermis ad ecclesiam properabat. cum quo macedonius residens in uehiculo cum prefecto. simul
et milites armati. Hoc facto terror apprehendit populum. et ad ecclesiam concurrerunt. uniuersi
omousiani simul et arriani. Cumque prefectus cum macedonio ad ecclesiam peruenissent. et
populum et milites irrationabilis timor inuasit. Dumque esset nimia multitudo nec posset intrare
prefectus. milites ceperunt paululum uiolenter inpellere. Et cum propter angustiam loci recipere non uale-
rent. putantes eos milites sibi uelle resistere. euaginatis gladiis in eorum necibus crassa-
bantur. Tunc ergo sicuti fertur circa iii milia perempti sunt centum et quinquaginta. alii a militibus interfec-
ti. alii uero conpressione sunt mortui. His peractis. macedonius tamquam nichil mali gerens. sed ueluti
mundus et innocens. a prefecto magis quam ecclesiasticis regulis ad thronum suscepit episcopatum.